



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 46. Orans & dicens: Pater si possibile est transeat à me calix iste. v. 42.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**O** Domine Deus meus, En ipsa quoque vita indignus sum, eo quod ipse tibi hunc acerbissimum inussi dolorem, quando non veritus sum pro momentanea profususque vili delectatione committere, quod tu ex parte sanguineo tuo sudore, & luere morte gravissimâ debebas: O quam gravia sunt mea peccata quæ talem deposcunt satisfactionem, da igitur gratiam Domine, tuomet merore mihi promeritam, ut tuo exemplo edoctus ob mea (heu! nimis multa & enormia peccata, me prosternam coram te omni tempore tanquam filius prodigus veniam cum lacrimis à misericordissimo patre exposcens.

*§. 46. Orans & dicens: Pater si possibile est transeat à me calix iste. v. 42.*

An humana natura ista loquebatur terrore eorum quæ supra eam ventura erant tormenta? eaque apprehendens aliud remedium non sciebat, quam recusare passionem tam acerbam? non credo, quando video eandem regimine divino munitam, alias a deo fortiter volentes abdicare passionem eius increpuisse; quid igitur orat: *si possibile est transeat?* Exemplum factus est nobis caput nostrum sanctum per omnia. nimirum ut nos membra discamus refugium quærere apud Deum patrem, Cui nostra omnia cognita, si forte differre passiones & mala nobis instantia vellet & orari ut ipse oravit: Pater si possibile est transeat hæc crux, hoc periculum, hic morbus &c. nam natura mea ita abhorret à passionis futuræ tormentis ut quasi deficiat ex apprehensione malorum mihi, ut puto, instantium verberum, alaparum, sputorum, contumeliarum, crucis, mortis acerbissimæ & ignominiosissimæ: vel igitur differ modicum, vel conforta naturam deficientem & imbecillum.

**O** Pater dulcissime video causam propter quam voluisti ita filium tuum orare: attende quæso, piissime pater, dolores istos cordis tibi dilectissimi, respice miserabiles tremores ipsius, ascendant acerbis gemitus illius in cor tuum, moveat te sudor eius sanguineus toto è corpore manans, vide ut ad terram humiliatus est, exaudi tandem fervidas preces eius pro me, quando quidem cuncta eius membra plorant & clamant ad te, da illi desiderium cordis sui, quando voluntate penitus resignata totum se ad te convertit & in vera dilectione fundit preces suas, nec quærit commodum suum sed salutem fratrum suorum, & deprecationem impendentium illis malorum.

*§. 47. Verum amen; non sicut ego volo, sed sicut tu. v. 43.*

Notandum hic venit Salvatorum nostrum Iesum Christum semper cum Spi-